Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.L.

Dico ergo quod hic liberandi modus fuit acceptissimus ex
parte dei ad placandam iram diuinam que erat contra ho-
minem peccati merito concitata. Quod sic deum patrem
placare potuit Sicut ille quem genuit dominum pro fi-
lio redimendo in mortem se dedit et penam infinitam
contra culpe infinitatem opposuit Et totum restituit
quod primus homo abstulit et destruit. Exemplum de Ionatha
qui contra dauid sepe patrem placauit quem nullus
alius placare potuit. Secundo hic liberandi modus
fuit congruentissimus ex parte morbi ad delendam cul-
pam Tunc enim morbus bene curatur Ut Galienus tes-
tatur quando ei contraria medicina opponitur Contraria con-
trarijs curantur. Dum morbis calidis frigida et
frigidis calida Siccis humida et humidis sicca re-
media apponant. Attende ergo quam congrue saluator
noster morbum nostrum sanauit. Nam humane aua-
ricie suam opposuit paupertatem Et humane superbie suam ob-
iecit humilitatem. Humane lasciuie suam opposuit uirgini-
tatem Humane inuidencie suam opposuit caritatem
Et generaliter infirmitati humane perfectam bonorum spiritua-
lium opponit sanitatem ut nullum esset inuenire morbum
cui non obiceret perfectum antidotum. Sed dicamus
hoc specialius Si primo morbo hic adaptemus Con-
gruum ei fuit ut incarnacionem filij dei precederet an-
gelica salutacio ut scilicet ordo reparacionis responderet
ordini preuaricacionis Ut sicut dyabolus temptat mulierem ut
eam pertraheret ad dubitacionem et per dubitacionem ad
consensum et per consensum ad peccatum. Sic angelus nunciauit vir-
gini ut nunciando excitaret eam ad fidem Et per fidem
ad consensum ad concipiendum dei filium Mittitur
etiam angelus propter cognacionem uirginitatis ad naturam
angelicam Et propter ordinem perdicionis humane nature
Quia sicut ibi uenit dyabolus in specie serpentis ad mulierem ita
hic uenit dominus ad uirginem Et sicut fuit etiam reparacio
nature humane Sic fuit ruine angelice Utpote communiter
utrique nature debuit ministrare Nam ibi malus